



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina  
Evangelica De Meditatione mortis**

**Kispenning, Henricus**

**Antverpiæ, 1583**

Quid ægroto post conditum Testamentum, aliaque necessaria ritè  
procurata, faciendau. xvi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

hereditatem, aut legati sibi aliquid expectet: omnia tantum, quæ ad eius faciam usum, exhortans. Tunc tandem destitutum te videns, tuam imprudentiam ac stultitiam grauius suspirius damnare incipies. Cupies & eo tempore mandata dare, cum & lingua semiextincta ad loquendum, & manus ad scribendum inualida, tremensq; fuerit: ex quo nec voce, nec item literis tuam ostendere mentem valebis. Quod si nihilominus contigerit, ut & verbo & scripto res tuae palam mandentur: una tamen transposita litera, vnum non probè adpositum signum, totam sententiam mutare, ac irritam facere sunt apta. Duo item aut tres improbi testes, totam hereditatem in alios conuertent. Quid igitur miser reipsum decipis: nunc opibus in luxu viuendo abutens, ac tibi ea promittens, quorum postea dominus non eris? Hæc itaq; frater, dum vales ac potes, animaduertas. Crede optimè consulenti, teq; amanti IESV CHRISTO: qui ob nostram salutem egere voluit, ut ex eius paupertate nos diuites essemus: qui etiam sese pro nobis redimendis pretium obtulit, ut eius mandato seruando nobis cōmodum perpetuum proueniret: & hæredes æterna fieremus vita.

2. Cor. 8.

Quid ægroto post conditum Testamentum, aliaque necessaria ritè procurata, faciendum.

**P**eracto negotio testamentario, alijsq; rebus necessarijs ritè, quantum fieri potest, procuratis, ægroto omnes de rebus huius sæculi obstrepentes submoueat. Deinde si morbi ratio patitur, anime prius quàm corpori mederi studeat, per exomologesin sinceram, & fuci expertem: & à sacerdote, cum plena fide, summaq; reuerentiâ pœnitentiæ remedium accipiat: ex intimis præcordijs Dei misericordiam imploret: sumatq; vite castigatioris propositum, si contingat renouescere. Ad hæc, si læsus

CAPVT.

XVI.

Ex Eras. Prepar. ad mortem.



si laesus est à quoquam: vindictam ex animo remittat. Si, qui laesus indignus est, cui noxa condonetur: Christus dignus est, in cuius gratiam deponatur viciscendi affectus. Nec reputet, quàm atrociter sit laesus ab hoc aut illo, sed quàm multa ipse à Deo cõdonari postulet. Nullum opus efficacius est, ad impetrandam Domini misericordiam: quàm in gratiam CHRISTI IESV, & ad illius exemplum, ex animo gratias condonare, quicquid in nos peccauerunt homines. Ipse namque pendens in cruce, orauit pro ijs, per quos erat adactus ad crucem: et à quibus insuper conuictus inessebatur. Porro si quem ipse laesus sit: curet illum, quantum licet, reconciliandum. Deinde & liberos suos, si quos habet, aut necessarios, ac domesticos, ad se vocatos officij admoneat, & ad Dei timorem & pietatem exhortetur: quod sanctissimos veteris Testamenti patres, Iacobum, Tobiam, Mathathiam sedulo fecisse legimus. Qui adsunt laboranti aegrotò, excutiãt affectum communem, quo multi credunt per Exomologesin, Eucharistiam, & Vnctionem extremam, accelerari mortem: persuadeantq; potius id quod res est, his modis maiorem esse spem recuperandæ sanitatis. Deinde sacerdotem adhibeant, qui linguam habeat eruditam, vt sciat sustentare eum, qui lassus est, verbo: quiq; sic moderetur alloquium suum, vt nec nimium blandiens fallat aegrotum: nec intempestina austeritate conijciat in desperationem.

Luc. 23.

Gen. 48. 49.  
Tobiz 4. 14.  
1. Mach. 2.

Esa. 50.

Ex eodem  
libro.

Quomodo ad exemplum Iesu Christi, aegrotus ad salutarem mortem sese parare debet.

CAPVT.  
XVII.

**E**xempla magna habent vim ad commouendos animos. Nullum inuenitur autem exemplum perfectius, ad mortem ritè subeandam: quàm quod D. N. Iesus Christus in seipso nobis expressit. Cum enim instaret illa